STATUTA SIVE ORDINATIONES CANONICORUM REGULARIUM CLAUSTRONEOBURGENSIUM
Österreich (Wien), 1456-1457 Seite 13r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=60
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Preterea omnes canonici nostrarum domorum tam in missa
conventuali sive publica quam in Vesperis etiam si illis officiis
seculares interesse contingat a principio usque ad finem sicut
ceteris horis canonicis presentiam studeant exhibere personalem
Qui vero se a predictis officiis aut eorum aliquo absentaverint
per decanum in abstinentia vini aut alia regulari pena
puniatur. Quando commessuri sunt quid dicere aut
quomodo se habere debeant. Capitulum xvii.

Cum fratres ad prandendum convenire debebunt dato signo con
sueto a presidente lotisque manibus cum debita reverentia locum
refectionis subintrent singulisque ibidem in loco suo more consue
to iuxta tabulas consistentibus et cum clericis non liceat edere
nisi ymno dicto et adquem ex ordine pertinet. Benedicite
inchoante ceteri reliqua prout moris est prosequantur
Et cum bis commessuri sunt. Oculi omnium in te sperant etc. Gloria
patri etc. Cum vero semel tantum edent pauperes cum suis. Ps. dicant
et dicto kyrie eleyson omnes cum reverenti inclinatione orationem
dominicam subsilentio orent. Et post benedictionem videlicet Benedic
nos domine et hec dona etc. A sacerdote ebdomodario data
se iterum erigant et Amen respondeant. postea lector mense
in medio stans. Tube domine dicat et inde non moveatur
nisi benedictionem hanc accipiat. Cibo potuque reficiat spirituali
nos gratia xpi. Qua benedictione data et postquam conventus
responderit Amen. singuli in locis suis ad reficiendum
se collocent poterunt tamen locorum seu monasteriorum qualitate
et conditione pensatis iuxta superioris ordinationem et providentiam
bini sive plures ex una parabside simul sumere cibum
prout utilitati loci et fratrum quieti melius visum fuerit
expedire. Lector vero mense ad locum sibi constitutum properet
et fratribus iuxta doctrinam Apostoli cum silentio panem commedentibus
omni strepitu et murmuratione semotis divinas scripturas